

925
DE
**BONA FIDE IN PRAESRIPTIONE
ET VSVCAPIONE NECESSARIA**

D I S S E R T A T I O

Q V A M

P R A E S I D E

**D. ERNESTO GODOFR. CHRISTIANO
K L V E G E L I O**

IVR. SAX. P.P.O. IVDICII PROVINCIALIS IN LVSATIAE
INFERIORIS MARCHIONATV ET FACVLTATIS IVRIDICAE
WITTENB. ASSESSORE

DIE XIV. AVGUST. A. R. S. MDCCCLXXXI.
IN AUDITORIO MAIORI

P V B L I C E D E F E N D E T

AVCTOR ET RESPONDENS
CAROLVS AVGUSTVS CHRIST. VLICHIVS
WITTEMBERGENSIS.

WITTEMBERGAE
LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.

DE
BONA IDE IN PRESCRIPTIOINE
ET ASSEMBLIONE NECESARI
DISSEMINATIO
GAVIA
TRADICIO
D'ERNESTO GODOFR'D CHRISTIANO
KELAGELIO
IN EAZIO O. IADICU TROVINGIALE IN EASIA
IN EAZIO IS MARCHIONATA ET LEGALITATIS IUDICIAVE
NUTTEN VERSORI
PIA KIA. YAOCHI. A. R. S. MEDICINARI
IN ALBITIONIO MAIORI
TURKIC. TIBETANIC
VACOTOR ET RESTONENS
CERCOLAS AGASTAS CHRIST. ALTHIAS
WITTENBERGENS
WITTENBERGENS
WITTENBERGENS
WITTENBERGENS

VIRO
AMPLISSIMO PRUDENTISSIMO
IOANNI FRIDERICO
VLICHIO

SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE
EXIGENDIS CVRANDISQUE CIRCULI ELECTORALIS
CENSIBVS PRAEFECTO ET CIVITATIS WIT-
TENBERGENSIS CONSULI

PARENTI
OPTIMO ET DE SE LONGE
MERITISSIMO

HVNC PRIMVM LIBELLVM ACADEMICVM
PIE CONSECRAT

AUCTOR
CAROLVS CHRISTIANVS AVGVSTVS VLICHIUS.

V I R O
A M P L I S S I M O P R A D E N T I S I M O
I O A N N I I F R I D E R I C O
V L I C H I O

S E R V I S S I M O P R I N C I P I R I T E T O G I S A X O N I A N I
E X I G E N D I S C A R D I S I G A Q R I C H I R I C C O G O D I A S
Q U I N S I B A S P R A E T E C T O T A Q U I T A T I S W I T
A L T A N D E N G A N S I S C O N S U A T

P A R H I T I
D E S S A T T I O N P C O
M A R T I S S I M O
M I C H A E L I U M Q U A L I U M A C A D E M I C U M
P I A C O N S U A T

A V E C O D O
C O R O L A S C H R I S T I V I A S V A D A S T A S A P I O N I A S



ogitanti mihi saepenumero, quam doctrinam ex
omni vtriusque iuris ambitu eligerem in argumen-
tum huius libelli, cum in eo me constitutum vi-
derem, vt primum aggrederer specimen academicum, publi-
ce disputando paeſtandum, quo ſatisficeret voluntati legiſlato-
riae, eiusmodi exercitia ab omnibus iuris cultoribus poscenti,
varia in promtu erant argumenta. Statui autem, talem mihi
eligendam materiam eſſe, quae nec ingenium iuuenile ſupe-
raret, nec a viribus tironis in ſcribendo plane aliena eſſet, cu-
ius tamen vtilitas eſſet haud exigua, et frequens in foro uſu.
Quam ob rem non opus videtur longo prologo, quo cauſas
enarrem, quae me commouerint, vt de uſu capione et paeſ-
criptione differere conarer. Nemo enim facile erit, qui
huius doctrinae vtilitatem in dubiuni vocare audeat, quippe
quae non priuatorum ſolum commoda, verum ipſam quoque

A 3

ſpectat



spectat salutem reipublicae. Etenim lex est profecto saluberrima, quae quemque certum intra temporis interuallum id, quod suum iudicat, persequi et sibi vindicare iubet, eoque efficit, ut aliquis sit litium et controversiarum finis, ne dominia omni effectu desituantur, sed potius sit rerum tranquilla possessio. Habet autem hunc finem usucapio et praescriptio, quippe quae lites ab immortalitate vindicat, nec patitur, ut incerta sint rerum dominia. Vnde quoque recte dicitur in L. I.
 π. de usurp. et usucap. bono publico introducta est usucapio. Quantum enim dominiorum certitudo prospicit saluti publicae, docent et satis euincunt incommoda, quae eorum incertitudo parit, confusiones scilicet rerum, matres rixarum, bellaque priuata, quae inter ea, quae reipublicae perniciosa sunt, primum fere locum obtinent, cuius rei testis iam extat Sallustius, discordia res dilabi maximas contendens. Hanc igitur doctrinam constat esse utilissimam. Sed est quoque eius usus in foro frequentissimus, propter insigne commodum, quod probando rei dominio usucaptionis institutum praestat. Quamquam enim aliquis coram iudice demonstrauit, se rei aliquius ute pote rite adquisitae iustum possessorem esse, nondum tamen plene perfecit probationem dominii, nisi simul demonstrauerit, illum, vnde habet, legitimum dominum fuisse, cum transferri dominium non possit, nisi ab eo, qui ipse eodem legitime gauderet. Oritur itaque hinc probandi dominii auctoris necessitas, quae quam difficilis sit, probe intellexit Accursius, qui eam vocat diabolicam. Quumque haec probatio rei vindicationem redderet difficultem et nimis arduam, introduxit quidem praetor fictione sua intercedens actionem Publicianam, in qua negari non potest, probationem faciliorem esse, cum nihil esset deducendum, nisi alterum *infirmiore iure* possidere. Haec autem actio nullam vim habuit aduersus eum, qui se ipsum verum dominum contenderet, cum tamen usucaptionis et

et praescriptionis exceptio omnem repellat agentem, si vel verus dominus fuerit, quia, dominio a posteriore possessore semel adquisito, prior suo cecidit. Praescriptio enim id, quod vni tribuit, alteri ausert. Quum igitur tanti sit momenti haec doctrina, vt patet ex antecedentibus, omnino operae pretium esse existimo, de ea verba facere, licet sit ab eruditioribus iam saepius tradita, et exhausta fere, vt, quid noui dicere possim, nihil prope habeam. Nos enim non, nisi exercitii gratia scribimus. Neque nobis totam hanc materiam illustrandam sumimus, quod ne quidem ferrent hae libelli angustiae; sed in hanc vnam quaestione: *an bona fides in omni usucacione et praescriptione requiratur ab initio usque ad finem*, paullo diligenter inquirere constituimus.

§. I.

Vt vero ordine procedat nostra disputatio, ante omnia rei, de qua agimus iustum definitionem praemittendam censemus. Usucatio ad verbum definita, est diurna possessione capio, seu adquisitio. Vocabulo usui enim nulla alia vis tribui potest, quam possessionis l. 115. π. de V. S. Quod autem rem attinet, exhibet nobis definitionem Modestinus in l. 3. π. de usurp. et usucap. vbi eam merito appellat adiectionem dominii per continuationem possessionis temporis lege definiti. Haec definitio laudati ICti digna visa fuit, quam apponem, ut propter rei satis accommodata, et reliquis praestantior definitionibus. Neque opus est, vt multi volunt, generis emendatione. Hoc enim rei non solum plane conuenit, quia dominium adiicitur per possessionem, verum etiam respondet iuris veteris constitutioni, qua opus erat adiectione dominii, ciuilis nempe et quiritarii, ad naturale, quod bonitarium appellare consueverunt, iure possessionis. Etenim neminem fugiet juris peritum, iure antequam dominium naturale, quod praevio iusto titulo



titulo per traditionem adquiritur, non semper sussecisse, sed opus fuisse certis solemnitatibus, si quis omni iure tutus esse voluisse; nimirum aut mancipatione, aut iuris coram iudice cessione, aut denique usucapione. Quae, quum ita sint, sequitur, hoc genus Modestini longe praestare illi generi Vlpiani, *adceptionis* vocabulum generis loco ponentis, quamvis etiam hoc tolerari possit. Neque est, quod hac in definitione cum aliis essentialia desideremus, bonam scilicet fidem et iustum titulum. Omnis enim possessio modo impetratur, aut *illegitimo*, vt vi, vel clandestinis artibus, vel precario, aut *legitimo*, ex iusta antecedente causa, et ad dominium tribuendum satis idonea. Facile igitur patet, possessionem iniuste adquisitam huc non pertinere. Nam, si lapsus temporis vitia delere possit paullo ante memorata, ad delinquendum inuitaret omnis de usucapione doctrina, quod iura detestantur. Remaneat igitur sola iustae possessionis notio, quae cum sine iusto titulo et bona fide cogitari nequeat; sufficit, si, quod in verbis definitionis non legitur, insit menti eorum, et ex ipsa natura rei profluat. Ab hac usucapione, iure saltē antiquo, praescriptio quidem multum differebat, quae, quia non dominium, sed exceptionem tantum tribuebat, adquisitio exceptionis per possessionem dici debet; id vero mutatum deinde fuisse, adeo, vt praescriptio nunc idem fere sit, quod usucapio, inferius docebo.

§. 2.

Vulgaris quaestio est, solet enim in omni iuris doctrina moueri, an hoc iuris ciuilis institutum iuris naturae sit, an aequitati conueniat. Quam ob rem illa quoque nobis attingenda videtur quaestio: num usucapio sit iuris naturae. Plagne vero non est dubitandum, quin usucapio, quoad originem, fundamentū in iure naturae habeat, si modo hypotheticum ab

¶ ◊ ¶

ab absoluto secernas. Hoc enim, quia dominia rerum ignorat, nescit quoque finem visuacionis primarium, qui vnicet in certitudine dominiorum positus, vnde et, cum finem ignoret visuacionis, de ea nihil disponere potest. Ius autem naturae hypotheticum eo magis suadet iubetque hanc iuris ciuilis dispositionem, quo magis salutem publicam non curari modo, sed supremae legis loco haberi praecepit. Cum igitur ius naturae hypotheticum, siue ad homines in societate degentes relatum, omne id suadeat ac probet, quod e re publica est; recte concluditur, visuacionem, augendae salutis publicae gratia introductam, esse iuris naturae hypotheticci ciusque praeceptiui. Et hoc ipsum ius naturae visuacionis formam quodammodo definit, propterea quod nulla, aut minus idonea de causa, aut mala fide possidere res quascunque vetat; eam tamen non satis accurate determinat, adeo, ut hoc potius iuri debeatur ciuili, inprimis intuitu temporis praefiniti, cum ius naturae non agnoscat numeros. Quod igitur formam attinet, quam ea res a iure ciuili accepit, negari non potest, hanc doctrinam propter varias, quas perpessa est, iuris mutationes, arduam redditam esse atque difficultatem. Quarum difficultatum fontes latent potissimum in eo iuris antiqui discrimine, quod inter visuacionem et praescriptionem intercessit. Eas enim maxime a se inuicem diuersas suisse, satis testantur romanae antiquitates. Illa enim hac longe antiquior, ipsis XII. Tabb. iamiam introducta erat, et cum esset modus acquirendi dominium, quiritarium illis dictum, referebatur ad iura propria Romanorum ciuium, nec cadebat in prouinciales, quippe quod diferte vetat lex XII. Tabb. sic praecipiens: *contra hostem* (id est peregrinum) *aeterna auctoritas esto*, qua nihil aliud indicatur, nisi vindicandi facultas sempiterna. Plures autem aliae intercedebant differentiae inter vtrumque negotium, tam obiectum quam tempus, effectum denique et interruptionem spe-

B

stantes,



stantes, quarum mentionem facere nec nostro responderet consilio, neque angustis, quibus hic continetur libellus, limitibus aptum esset.

§. 3.

Attamen multiplicis illius discriminis, cuius mentionem paullo ante fecimus, exigua hodie remanet utilitas. Namque Iustinianus duas promulgavit leges notatu dignissimas. Harum altera, *I. vn. C. de nud. iur. Quir. toll.* plane euertit discriminem inter dominium quiritarium et bonitarium, et antiquae subtilitatis ludibrium, ut cum ipsa lege loquar, expulit, eo quod aequales in omnibus, ac proinde etiam in rerum suarum dominii, prouinciales cum ipsis Romanis ciuibus reliquisque Italis redderet. Qua lege potissimum Iustinianus dominii, quod quis iure gentium obtinuit, olim bonitarium dicebatur, effectum voluit esse eundem, ac dominii quiritarii, quod quis iure ciuili adhibita certa solemnitate adquisuerat, eumque, qui iure gentium, non minus, quam qui iure ciuili dominium adeptus erat, verum dominum dici. Hoc igitur discriminine sublato non amplius opus fuit vsucapione, si is, qui dominium transferre vellet, verus dominus esset, quippe quae requirebatur modo, si quis dominio destitutus esset, ac proinde praeter vsucapiendi conditionem transferre nihil posset. Altera lege, quae est *vn. C. de vsuc. transform.* reliquas Iustinianus sustulit differentias, statuitque, vsucaptioni in omni terra, romano imperio subiecta, esse debere locum, et cum, discriminē dominiorum antiquo deleto, unus esset vsucaptionis ac praescriptio-
nis effectus, ita quoque amplius pati noluit imperator, ullam ratione temporis intercedere differentiam, et in mobilibus termina triennii, in immobilibus decennii aut vicennii pro ratione absentiae, vel praesentiae constituit, cum tamen olim vsucapio in mobilibus anno, biennio in immobilibus peragere-
tur,

tur, praescriptio autem semper longi temporis esset, decem aut viginti annorum. Quum igitur vna sit vsucaptionis et praescriptionis natura, vna quoque est earundem definitio, adeo ut definitio supra posita ad praescriptionem quoque commode trahi possit. Vsu tamen remansit vna differentia, in eo positâ, ut praescriptio tam de corporalibus, quam incorporalibus, usucapio autem de solis corporalibus diceretur; cuius rei rationem Stryk. in *V. M. π. tit. de praescr. §. 1.* affert satis idoneam, quod usucapio veram requireat possessionem, in incorpores res plane non cadentem, cum hae solo intellectu, nullo autem sensu externo percipientur.

§. 4.

His breuiter praemissis, commemoranda sunt ipsa usucaptionis ac praescriptionis requisita, quorum quinque potissimum numerantur. Iustus nimirus titulus, hunc secuta traditio, bona fides, res, quae non sit extra commercium posita, temporis denique lege definiti exitus. Per se tamen patet, haec requisita adquirentis modo esse. Nam ex parte eius, contra quem praescribitur, vnum requiritur, quod semper adesse debet, scilicet negligentia, utpote qua deficiente semper locum habet regula illa: *non valenti agere non currit praescriptio.* Ita aduersus pupillum nemo se tueri potest exceptione praescriptionis, si pubes factus agat. *l. 48. pr. π. de A. R. D.* Tutoris enim negligentia non debet nocere pupillo. Eodem modo iudicandum est de iustitio, quod est status, quo copia iudicis haberi nequit; quod accidere potest pestis, aut belli tempore, vbi tamen necessarium est, ut eiusmodi temporis spatium pro iustitio publica declaratum sit sententia, quomodo se habet in Germania bellum tricennale.

B 2

§. 5.



§. 5.

Horum autem requisitorum praecipuum fere bona fides est, qua deficiente nunquam firmum possidenti ius nascitur. Cuius rei causa haec est, quia alias ad delinquendum inuitaret vsucaptionis introductio, quippe quae iniustam alienarum rerum occupationem defenderet, et sic foret adminiculum et asylum omnis malitiae. Vnicum quidem praescriptionis requisitum illa non est, praecipuum tamen horum, quibus indiget vsucapiens, appellare eam non poenitet. Potest enim ea nullo temporis lapsu suppleri, ac proinde etiam in possessione, cuius initium viuentium superat memoriam, requiritur. Iusti e contrario tituli, quamvis in se sit maxime necessarius, defectus temporis diurni suffragio adiuuari potest, cuius rei causa introductorya quoque est triginta annorum praescriptio, quippe quae in iis rebus locum habet, quae aut ob vitium inhaerens, veluti in re furtiva, quae ab ipso sure quidem nunquam, bene tamen a tertio b. f. munito intra hoc tempus adquiri potest, aut ob titulum sive plane deficientem, sive ad rem faltem minus idoneum, qualis commodati, vel depositi est, ne ab auctore quidem vsucapi potuissent. Accedit potissimum, quod immemorialis praescriptio, quamquam sine iusto titulo omnino vim habet, potest enim ea ne cogitari quidem, quamdui certo constat, quo titulo haec vel illa res ad aliquem peruererit, sine dubio tamen bonam fidem requirat. Quum igitur tanti ponderis sit bona fides, accurate nobis definienda est. Consistit autem ea in firma opinione, qua quis credit, se verum esse rei, quam possidet, dominum. Qua cum definitione plane congruit illa Voetii, quam tradit Leyf. sp. 455. m. 2. qui illam appellat: illasam conscientiam putantis, rem suam esse, dum credit eum, a quo natus est possessionem, esse dominum illius rei, adeoque alienandi iure haud destitutum.

§. 6.

§. 6.

Quum ergo bona fides opinio firma sit, rem suam esse creditis; manifestum est, dubitantem, vtpote firma opinione destitutum, bona fidei posseforem praedicari non posse. Opinio namque firma omne remouet tollitque dubium. Hoc enim intercedente, ipsa statim corruit firmae opinionis notio. Hisque positis, planum est, dubitationis praetextu neminem se tueri posse, licet multis aliter videatur, quibus non facere contra conscientiam videtur is, cui nondum veritas innotuerit. At enim vero cum in dubia conscientia semper suadenda sit omissione; hinc ille, qui hoc sectari vellet principium, saepissime in periculum laedendae conscientiae incurreret, quoniam ei, qui rem adquirere conatur, distincte et determinate cogitandum est, aut transferentis eam esse, aut nullius, et ita occupatione suam fieri, cui sententiae et ipsa aequitas fauet. Attamen Doctores non omnem dubitatem vsucaptionis incapacem iudicant, distinguunt potius respectu originis dubii sequentem in modum: aut scilicet sequitur, aut antecedit tale dubium contractum. Si sequitur, quia tum cepit usucapio iam initium, dubium hoc obesse negant; hoc principio innixi, quod in dubio melior sit conditio possidentis. Ethoc brachicardicum aequitati non modo conuenit, sed in legibus quoque inuenit praesidium. Nemo enim tenetur de possefione decedere eo, quod dubitet, an forte rem detineat alienam, quod esset quasi traditio in publicum. Quin ne alteri quidem rem suam dicenti tradere statim eam obstrictus est. Imo, quod maius est, licet quis contrahens ab alio priuato ausu admoneatur de non celebrando contractu, v. g. de non emendare, qua forte indiget; priuatam tamen hanc denunciationem contractum non impedit, docet Leyf. sp. cit. m. 3. Quienam tali modo alterum inhibet, cum inhibitione sua ad iudicium

B 3

ab-



ablegandus est. Hinc merito ita argumentatur a maiore ad minus facta conclusione: si denunciatio sub initio contractus priuato ausu facta non impedit contractum, nec malam inducit fidem, multo minus talis effectus tribuendus erit nuda dubitationi contractum iam perfectum secutae. Lege igitur cum concedatur retentio rei, de qua dubium oritur, non potest non iusta dici, neque illa cadit in posseforem malae fidei suspicio. Confirmatur idem quoque *l. 9. §. 4. π. de Public. in rem aet. vbi*, cum, re aliqua duobus bona fide ementibus vendita, quaereretur, quis magis uti queat Publiciana; respondit Julianus, causam possidentis meliorem esse, quam quidem petentis, et hanc decisionem Vlpianus huius legis auctor veram praedicat. Dubium autem, contractum antecedens, aut quod eundem certe concomitantur, si graue sit eiusque penderis, vt contrahenti vero simile videatur, rem minus certam esse, contractus valori obesse, nullo modo dubitari potest, cum, simul ac quis magis inclinet in opinionem sibi contrariam, abstinenter ei sit ab ea persequenda, nisi malam velit fidem incurrire. Interim ne hoc quidem casu dubium leue admittere volunt Doctores, vti patet ex exemplo a Leyfero *c. l. proposito*.

§. 7.

Dubitacioni fere affinis error est, quippe qui in notione de hac vel illa re peruerse concepta consistit, ac proinde diuersus ab ignorantia, quae nuda est notitiae priuatio. Quaeritur, num error efficiat, quo minus valeat prae scriptio. Qua de re sic statuendum. Errorem in iure positum, eum potissimum, qui ex ignorantia iuris oritur, Doctores nocere docent, idque recte. Interest enim reipublicae, ne ignorantia iuris cui libet profit, neque naturalis, propterea quod hoc a natura omnibus insitum est mortalibus, neque ciuilis, quippe cuius noti-

notitiae sibi comparandae assiduum studium promouet salutem publicam, quae contra ex illius neglectu multa sentiat capiatque detrimenta, necesse est. Iubent idem leges romanae variæ, errorem scilicet, ex ignorantia iuris promanantem nullo modo ferendum esse, veluti *l. 2. §. 15. D. pro entore*, vbi Paulus ICtus scribit, ementi a pupillo sine tutoris auctoritate, quod crederet, pupillis licere sine auctoritate tutoris res suas administrare, usurcationem non competere, hac disertis verbis adiecta ratione: *quia iuris error nulli prodest*. Idem praecipit *l. 31. pr. π. de usurp. et usuc.*, cum qua plane conuenit *l. 32. §. 1. eod. verbis*: *quia in iure erranti non procedit usuratio*. Quapropter, cum haec leges sine distinctione conceptae sint, cum alius faciendum non est, hanc legum praescriptionem ad ius dubium, quodque controuersum sit, trahendam esse, negantibus, si quidem turpe est, lege non distingueente distinguere velle. Quin imo eo ipso, quod in *l. 7. π. de iur et facti ignor.* in uniuersum dicitur, iuris ignorantiam non prodesse adquirere volentibus, suum vero potentibus non nocere, ius illud singulare excludi videtur, quo certis personis conceditur prodesse iuris ignorantiam, quia haec lex non modo generaliter loquitur, verum etiam adquirere volentibus opponit suum peccantes, hisque maiorem fauorem tribuit, quemadmodum alias quoque melior est conditio de damno vitando certantis, quam quidem de captando lucro. Accedit lex sequens *g. eod. eadem repetens*. Sancit enim, ne feminis quidem prodesse errorem iuris incompendiis. Quid autem per compendia intelligatur, docent, quae sequuntur verba: *ceterum omnibus iuris error in damnis amittendae rei sue non nocet*. Ex quibus consequitur, vocem compendii, oppositam damnis, vim habere acquisitionis omnisque lucri, quod dilucide etiam appareat e *l. 65. §. 6. π. pro socio*. Error autem, qui in re facti versatur, vel proprium, vel alienum concernit. Factum alienum autem iuste ignorari, ideo-



ideoque errorem circa id commissum non impedimento esse posse, iam exinde clare constat, quod factum proprium ignorare nimia eius vetustas reddat licitum, cum tamen alias in factis propriis secundum regulam non audiatur exceptio ignorantiae, *l. 7. D. ad SCtum Vell.* quia illa in supina ac intolerabili obliuione praefidium inueniret, immo ansam praeberet propemodum delinquendi, et prorsus affectata videretur. Cum igitur leges permittant, etiam ignorantiam facti proprii efficere posse, ut bona fides ex parte negantis praesumatur, *arg. l. 43. pr. π. de aqua et aqua pluvia, et l. 26. C. de prob.* multo magis hic effectus tribuendus est facti alieni ignorantiae, quae argumentatio et ipsa fluit ex rei natura, et claris verbis confirmatur in *l. 4. π. de iur. et facti ignor.* ubi ita sentit Pomponius: *facti (nimurum alieni) ignorantiam prodeesse constat.* Quamuis autem factum sit alienum, minime tamen licet, si eius ignorantiaenoxiam cauere velis, ita comparatum esse, ut neminem, praeterquam allegantem, fugiat, et inquirendo ab eodem facile detegi possit. *l. 9. π. de iur. et facti ignor.* Neque hic facti error, licet regulariter non noceat, eius est momenti, ut, si forte error iuris eum comitetur, hunc tollere possit, ita, ut posterior plane non attendatur. Error iuris enim, uti monitum est, semper obstat usurpationi, cuius rei elegans exemplum narratur in *l. 31. pr. π. de usurp. et usurp.*

§. 8.

Bonam igitur fidem et ius naturale desiderant et romanum, et in hoc omnia iura conueniunt. At, quounque ea durare debeat; in hac quaestione ius canonicum maxime recedit a ciuili. Hoc enim solo in initio bonam fidem exigit, post consummatum vero negotium eam non amplius desiderat, quam e contrario ius canonicum etiam tunc continuari praecipit; de quo in sequentibus erit dicendi locus. Ius ciuale igitur
bonam

¶

bonam fidem ab initio tantum requirit, nec tamein simplici eam, sed duplice subinde tempore, diuersi potissimum negotii, quod agitur, ratione habita, adesse ab initio iubet. Sollicite namque Romani tempus initi contractus distinguunt a traditionis tempore, statuuntque, vtroque in negotiis onerosis, et quae nuda perficiuntur interpositione consensus, bonam adesse debere fidem. Tale negotium in primis emtio venditio est. Est enim onerosum, et perficitur quoque solo nudoque consensu, *pr. I. de emt. vend.* qua propter etiam res certa est, leges hic requirere tempore contractus bonam fidem. *I. 2. π. pro emptore.* Et recte, cum in eum, qui, licet rem emendam alienam esse nouerit, aut certe, an vendentis sit, dubitet, nihilominus de ea adquirenda sollicitus est, merito cadat quaedam doli suspicio. Hic enim maiore tenetur lucri comparandi, quam recti conscientiae seruandae, studio. Longe aliter autem res sese habet in negotiis, vt vocantur, lucratuvis, qualis est donatio, iisque, ad quorum perfectionem non sufficit nudus consensus, sed quae aut verborum solemnitate, aut scripturae confectione, aut ipsa denique traditione prius indigent, quam ad sui perfectionem perueniant. Etenim in his nullo, nisi traditionis tempore bona opus est fide. Quae sententia latis legibus satis munita est, v. g. *I. 15. §. ult. π. de usurp. et usucap. et I. 44. §. 2. π. eod. conf.* Duarenus in *comment. ad hunc tit. cap. 2. circa fin.* Per has leges docemur, eius temporis existimationem, quo restraditur, in tuendam esse. Quam adiuuat alia, scilicet *I. 2. π. pro emptore*, cuius verba ita sunt concepta: *si sciens stipuler rem alienam usucapiam, si, cum traditur mihi, existimem illius esse.* Et haec legum romanarum distinctio valde aequa est, suumque inuenit in ipsa sana ratione praefidium. Vtroque enim casu non opus est bona fide tempore eo, quo contrahitur, siue negotium celebretur sua natura gratuitum, siue onerosum, quod vero nudo consensu non perficitur. Nam priori casu is, qui accipit, nihil praefat;

C

stat;



stat; ac proinde de dominio quoque alterius commonitus, si acceptam rem restituere cogatur, nihil perdit. In Posteriori casu autem, etiam tempore contractus non opus est bona fide, cum in his negotiis sola consensus interpositio nullam producat firmam vtriusque partis obligationem, quae impedit, quo minus alteruter recedere queat, quamdiu nondum id accesserit, quod negotii natura postulat. Sic stipulans eo tempore, quo alterum, qui promittens dicitur, rogit de certa re sibi praeflanta, non opus habet sollicitus esse de dominio rei, quam sibi promitti velit. Cum enim hic contractus non perficiatur, nisi utraque de parte accesserit verborum solemnitas, manifesto penes alterum est, num velit perficere stipulationem per congruam statim factam responsum, an recusando se se ab omni tueri velit obligationem; unde si prius fecerit, tenetur quoque stare promissis. Accedit, quod ipsae LL. alienae rei stipulationem non prohibeant, pr. I. de inut. stipul. l. 38. §. 4. de V. O. quin per loca supra allegata permittant. Praeterea, etiam si facta aliena stipulationis obiectum esse nequeant; attamen, si promittens verba, se effecturum, adiecerit, nihilominus tali stipulationi vim et validitatem denegandam haud esse docet Berg. p. 609. ad arg. l. 67. §. 1. de V. O. prouocans, et Leyf. sp. 521. m. 10. Recte ergo concludimus, idem multo magis de stipulatione alienae rei valere debere, cum etiam in ultimis voluntatibus teneatur haeres, rem legatam, si aliena est, sibi comparare, vt eam tradere legatario possit. Requirit igitur ius Romanum b. f. ab initio; adquisita autem semel b. f. possessione, tribuit idem possessori usucapiendi conditionem, neque eam interrumpi patitur, si succedente tempore innotescat, rem esse alienam. Quamobrem mala fides, post adimpletum contractum accedens, non silit usucaptionis cursum, neque ei ulli est impedimento. Affirmatur hoc l. vn. C. de usuc. transf. non interrumpatur ex posteriore alienae rei scientia. Quin per hanc legem ne

ne potest quidem talis notitia ei nocere, ad quem gratis res peruenit. Neque tamen haec romana dispositio prorsus aequitati aduersatur. Namque Romani voluerent semper, ut quisque, qui adquirere aliquid vellet, tempore acquisitionis in bona fide esset. Huc pertinet in primis dispositio legum romanarum sollicite distinguentium inter possessionem retinendam, quam de relinquentiam non censuerunt ob accedentem successu temporis malam fidem, et inter fructuum perceptionem, quam tamdiu legitimam iudicarunt, quamdiu nondum mala fides intercesserit; hac autem semel subsecuta, possessori fructus perceptos abiudicarunt l. 78. π. de R. V. l. 48. §. 1. π. de adq. rer. dom. ita, ut effectus possessionis cerneretur nullus, nisi qui in vsuapiendi facultate eiusdemque cursu confisteret. Quod autem eum, qui ante completum vsuacionis tempus in mala fide constituitur, possessione priuandum non censuerunt, ex iuris analogia fluit eique plane congruit. Nam, apprehensa re possidenda, nascitur inde ius possessori ad dominium temporis auxilio aliquando obtainendum, quod dicere solent vsuapiendi conditionem, quae iuris est, et quamvis illa rei possidenda apprehensio ab initio etiam in facto confistat, ius tamen parit. Iam vero cum iuri non debeat praeualere factum, mala fides autem ex interuallo temporis accedens facti sit, nullo modo potest tollere ea vsuapiendi ius. l. 48. §. 1. π. de A.R.D. Accedit, quod possessione iam adquisita ad eius continuationem non nouo facto opus sit, sed ipsa lex efficiat, ut iusta sit possessio, eum contra in fructibus, quotiescumque hi percipientur, nouo opus sit possessoris facto, quo si quid adquiritur, bona fide id fieri debet. Quae dispositio quanquam regulis analogiae iuris romani prorsus conueniat, tamen non modo aliquam redolet subtilitatem, verum etiam aequitati non exesse responderet. Mirandum autem non est, Romanos huic sententiae, iuri non debere praeualere factum, ita inhaesisse, ut eam ipsi an-

C 2

tepo-



teponerent aequitati, cum multae inueniantur in iure subtilitates, quae non semper videntur respondere aequitati. Sic Romani ad consensum mutuum interponendum certas requirabant solemnitates, proinde ex pacto nudo exceptionem modo concedebant, nisi accesserit verborum solemnitas, ut alia taceamus.

§. 9.

Cum igitur ius romanum in hac materia non modo admodum subtile sit, verum etiam aliqualem redolere videatur iniquitatem, non mirum esse potest, si ius canonicum eam rem aequitatis studio correxerit, adeo ut ab initio usque ad finem per singula possessionis momenta bonam postulet fidem, tanto rigore, ut, si ea vel uno momento desit, omnem sisti velit prescriptionis cursum. Atque hanc dispositionem canonicam longe aequiorem esse ciuili, nemo facile inficiabitur. Nam, si quis fecit, se alienam tenere rem, et tamen eam retinet, procul dubio recti laedit conscientiam, propterea quod notum illud praeciputum iuris, suum cuique tribuendum esse, violat, quod Triboniano in §. 3. I. de iust. et iure secundum est. Et hic quidem iuris canonici iussus in Germania licentiae c lege romana petitae preeferuntur. Hopp. ad pr. Inst. de usu cap. Scilicet, cum utrumque ius, et romanum, et canonicum, prout satis notum est, in Germania sit receptum, adeo tamen canonicum sese sua commendauit aequitate, ut dignum visum sit, quod Protestantes etiam ita reciperent, ut variis in doctrinis plus habeat valoris atque auctoritatis, quam quidem ciuale. Ad quod accedit et hoc, ut ius canonicum in variis negotiis adpropinquet ad indolem iuris Germanici; quod, eum multis exemplis commonstrari posset, hoc unum sufficiet, quod de pactis nudis in iure romano et canonico habemus, ex quibus id perfectam illis obligationem non tribuit, hoc autem plenam eis vim concedit, hac posita regula: *turpe est, fidem fallere cap.*

can. 3. can. 23. quaest. 1. cum quo optime conspirant consuetudines Germanicae, teste Tacito de mor. Germ. cap. 24.

§. 10.

Ius canonicum ergo, vti supra dictum est, omni praescriptionis tempore bonam fidem poscit, neque eo contentum est, si illa ab initio adfuerit, succedente tempore autem in aduersam partem versa fuerit. Innuit hoc diserte cap. penult. X. de praescript. vbi dicitur: *post impetratum huiusmodi privilegium (quod intermedio tempore impetraverat) non habuit bonam fidem, et ideo secundum canones non praescripsit; et cap. vlt. eod. vbi scriptum legimus: quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, synodali iudicio definitus, ut nulla valeat absque bona fide praescriptio, tam canonica, quam ciuilis.* Cum generaliter sit omni constitutioni atque consuetudini derogandum, quae absque mortali peccato non potest obseruari. Vnde oportet, ut qui praescribit in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienae. Hae leges canonicae aquissimae prosectorum et salutiferae multis tamen non probantur doctoribus, qui eas ideo reprehendunt, quod fini praescriptionis principali aduersentur, eumque fere tollant, et ita contra salutem reipublicae impingant. Quae etiam causa est, cur ad tuendam suam sententiam dictum Apostoli: *quidquid non est ex fide peccatum est,* quod saepius variisque in locis in iure canonico laudatur, veluti in can. 44. de poenitentia dist. 3. ita interpretari studeant, vt opinioni, quam souent, plane non sit impedimento, dicentes, sermonem hic Apostolo esse de fide non in genere, sed in specie de salutifica seruatori habenda, quod cum obiectum Theologorum sit, nec Ictos tangat, huc quoque trahendum non esse. Antequam autem ad hoc respondeamus, dicamus paucis, quid de eorum opinione, nudam aequitatem si spectare velis, sentiendum sit. Durior quidem esse videtur lex canonica, bonam fidem per omne tempus exigens, neque negandum, eam

C 3

paullo

❧ ♚ ❧

paullo difficultiorem reddere probationem, cum negotium satis arduum sit probare, se per singula possessionis momenta fuisse liberum a conscientia rei alienae, semperque credidisse, suam rem possessam esse, cum tamen praescriptio maxime recepta sit eum in finem, ut probationem adiuuet. Quae, quamvis recte dicantur, non tamen adeo, ut videtur, lex canonica dura est, cum sit potius valde salutaris maximeque laudanda. Nam licet aliqua probationem augeat difficultate, rem tamen respicit huiusmodi longe maximi, nimirum conscientiam, neque illo modo mali conscientiae indulget, ut supra iam monuimus. Praeterea adeo non est grauis illa probatio, ut inferius sumus demonstraturi. Eos autem, qui existimant, fidei vocabulum de fide saluifica intelligendum esse, Gratianus iam refutauit in d. *can. 44.* diserte docens, hic non sermonem esse de fide, quae sine operibus mortua sit, sed de ea, de qua Apostolus affirmet, quidquid non ex fide sit, id est, quod iusti conscientiae aduersetur, peccatum esse. Significat igitur hoc loco fides, conscientiae fidem, seu animi eam persuasionem et tranquillitatem, quam conscientiae cum actione humana consensus efficit. Repetit hoc dictum Innocentius III. Papa in *cap. vlt. X. de praefir.* expressis verbis simul praeceptiensi, omni constitutioni ac consuetudini derogandum esse, quae absque mortali peccato seruari nequit. *Vnde oportet*, per verba istius legis, *vt, qui praescribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienae.* Grotium quoque nobiscum consentientem inuenimus, atque Pontificis romani interpretationem dicto Pauli accommodatam probantem. Sribit enim in *Commentar. ad Epist. ad Romanos XIV. 22.* vocem πίστιν, quae graecis in genere denotat fidem, ita esse definiendam, ut sit persuasio ea, per quam quis credit, licitum esse id, quod facit. Quae explicatio, cum etiam Leysero in *Med. ad π. sp. 455. med. 13.* placeat, talium virorum consensus profecto efficit, ut simus maxime persuasi, fidei

¶

fidei vim hic nullam esse aliam, quam tranquillitatis animi,
seu conscientiae bonae.

§. 11.

Ius canonicum igitur, temporis intuitu emendasse romanum, atque omnem remouisse subtilitatem, quae interdum ad iniquitatem accederet, ea quae supra scripsimus satis probant. Ex his tamen nondum satis expeditum est, num laudata lex canonica tam late pateat, ut ad omnem causam applicari debeat, in qua ad praescribendum datur occasio. In dubium enim vocatur, num etiam, quod res attinet, ius ciuale a canonico sit correctum, numque iure canonico simpliciter bona fides adesse debeat in omni re, cuiuscunque sit indolis, praescribenda. Etenim neminem fugiet illa rerum diuisio, secundum quam aliae sunt corporales, quae sensibus externis percipiuntur, aliae incorporeas, quae, licet in sensus externos non incurvant, intellectu tamen comprehendendi possunt; quorum referenda sunt iura omnia et actiones, ad persequendum id, quod quis sibi deberi iudicat, in iure permisae. In his rebus incorporalibus, praesertim in actionibus praescribendis, ius romanum nihil praeter temporis lapsum, et negligentiam eius, cui competunt, in persequendo iure suo admissam, exigere, nec malam attendere fidem, clare testantur romanae leges, quae malam fidem ex interullo accedentem praescriptio-
ni obesse indiscriminatim negant, nulla rerum naturae ratio-
ne habita, veluti *l. vn. C. de usuc. transform.* Aliis tamen pla-
cet, in personalibus duntaxat actionibus malam fidem non nocere iure romano. Vix enim reperietur, docente Wernh. *P.I. Obs. 183.*
n. 8. in corpore iuris lex, quae in praescribendis actionibus personalibus bonam exigat fidem. Iam vero sine lege loqui, erubescendum esse, monemur *Nou. 18. c. 5.* Idem vero iure
cano-



canonico valere plurimi affirmant Doctores. Rursus alii hoc restringunt ad debitorem rei propriae, ut huic, a creditore intra tempus lege destinatum non interpellato, tribuant exceptionem praescriptionis, qua se tueri aduersus agentem queat. Alii autem in partes plane aduersas abeunt, docentque, etiam hic ciuale ius correctum esse a canonico ac proinde hoc iure in praescribendis quoque actionibus personalibus omnibus bonam fidem requiri, ut igitur ipse debtor nunquam ab obligatione se liberare possit, sed successor tantum, dummodo ipse expleuerit spatium bona fide, quod ad praescribendas actiones personales legibus definitum est, ab eadem immunis sit. Et quamvis huius sententiae fautores non modo ad aequitatem, cui plenius respondere autemant hanc sententiam, quam quidem reliquas, confugiant, sed etiam ad verba *capitis vlt. X. de praefr.* maxime generaliter concepti prouocent; plane tamen non dubitamus, ab illorum partibus stare, qui ius ciuale quo ad hanc rem correctum esse a canonico negant. Etenim, aequitatem si spectare velis, apparebit, hanc sententiam, quae in debitore rei propriae, veluti in mutuante aut eo, qui chirographum dedit, bonam fidem non exigit, praeferendam esse. Nam ius naturae quidem non praecipit, eum, qui ius suum non persequitur, eodem esse priuandum. Attamen legislatori reliquit, adstipulante purioris politices doctrina, certum prae finire temporis spatium, quo elapso quis iure suo excidat, quum iuri naturae eiusmodi ciuale institutum, ex quo commodum percipere potest res publica, aduersari nequeat. Iam vero leges ciuiles ad cohibendam litium nimiam protractio nem creditorem ad sua iura intra certum temporis spatium, quo elapso nulla moueri debeat iam veluti extincta actio, per sequenda adstringunt. Quae cum ita sece habeant, non est, quod putemus, debitorem rei propriae, eam non sponte of ferentem, ideo in mala fide versari, dum vtitur beneficio lege con-

concesso; sed potius creditor actiones iam sotipas reuocans leges violat. Deinde quod attinet ad cap. vlt. X. de praescript. cuius dispositionem generalem suam adiuuare dicunt sententiam ii, qui ab aduersis stant partibus, eamque potissimum ex vocabulo *nulla* in d. cap. occurrente monstrare student, hanc modo speciosam esse, nec veram, egregie docemur a Wernhero P. 1. obs. 183. Is quippe hoc caput canonicum generaliter disponere negat; illudque non modo ex sequenti vocabulo *possessore* euincit, verum etiam prudenter vocabuli *nulla* significationem ita restringit, vt eius non obsit sententiae. Nam, cum d. cap. vlt. X. de praescr. de possessore rei alienae conceptum sit, facile patet, ad omnes quidem, qui res alienas possident, id pertinere, non autem ad debitorem rei propriæ trahendum esse. Quamquam enim debitor rei propriæ, v. g. venditor, ad rem suam alteri, qui eam persequendi ius habet, tradendam obligatus est; ideo tamen non excidit dominio suo, sed tam diu illud retinet, donec sequatur traditio. Quae cum ita sint, ex ipsa natura rei fluit, hanc rem dici non posse alienam, cum dominium, siquidem in hac causa specialis lex alia deficit, in alterum non transeat, nisi per traditionem. L 20. C. de passir. Insuper extat lex in ipso iure canonico, quae dicti capititis assertionem restringit docetque, potentis ius ob admissam negligentiam excludi, licet debitorem, ad id se obligatum esse, haud fugerit. Legitur hoc in c. 1. X. de praescription. cuius capititis mente firmant et adiuuant sequentia cap. 4. et 6. X. eod. in quorū posteriori expressis scribitur verbis: *quia quadraginalis praescriptio omnem prorsus actionem excludit.* Legibus igitur freti non dubitamus, hanc sententiam vt rectiorem sequi.

§. 12.

Proximum est, vt videamus, num, quae scripta sunt iure canonico, ad omnia pertineant praescriptionum genera. Certum est, ius romanum multo minus, quam quidem in reliquis,

D

deside-



desiderare in praescriptione, hominum viuentium memoriam
 excedente, quae ideo dici solet immemorialis. Huius enim
 obiectum, si modo sit commercio subiectum, nullo justo titu-
 lo, bona fide indiget, sed solus attenditur tanti temporis
 decursus, alteriusque, contra quem praescribitur, supina ne-
 gligentia. Ius canonicum e contrario ne hanc quidem praesi-
 ccriptionis speciem a sententia generali in *cap. s. de praescr.* lata
 eximit, postulatque in hac non minus, quam in quacunque
 alia praescriptione, vt bona fide agatur, adeo, vt, si mala fides
 ab aduersa parte probata fuerit, nullus huic, quamquam tanti
 temporis, praescriptioni effectus tribuatur. Suedet hoc non
 generalis solum dicti capitidis dispositio, sed alii quoque huius
 iuris textus idem praecipiunt, vt *cap. 2. de R. I. in 6.* vbi dicitur:
non firmatur trahit temporis, quod de iure ab initio non subsistit, cuius
 dicti nulla alia vis esse potest, quam haec: temporis lapsu at-
 que diuturnitate non posse vitium purgari, quod praescriptione
 officiat. Nec obstat, idcirco introductam esse visuacionem,
 vt mediante ea remoueat id, quod impedit, quominus do-
 minium adquiri possit. Etenim primo per se patet, hoc ita in-
 telligendum esse, vt reliqua quoque adfint, quae ad rem necel-
 faria iudicantur, nec vnum deficiente altero quidquam efficiat.
 Deinde temporis decursus tituli quidem defectum, si ab aucto-
 ris parte accidat, nequaquam vero bonam fidem supplet. Idem
 legitur in *cap. 5. X. de praescr.* vbi verba ita se habent: *Vigilan-*
ti studio caendum, ne simus malae fidei possessores, quoniam nulla anti-
qua dierum possessio iuuat aliquem malae fidei possessorem. Videtur
 enim omnino posse intelligi sub antiqua dierum possessione ea,
 quae hominis vitam superat, atque ita eiusdem excedit me-
 moriam. Proinde certum est, si quis, praescriptione immemo-
 riali sui tenendi gratia allegata, conuinci posse de interpel-
 latione vlo tempore facta, per illam eum minime tutum esse,
 cum per usurpationem malae fidei culpam incurrat. Verum
 negandum non est, multas dari praerogatiwas, quibus haec or-
 nata

nata est praescriptio, caeterisque antecellit. Nam non sufficit modo etiam tunc, si reliquarum sufficit nulla, sed priuatios quoque contra ipsum principem tuetur, cum vicem legis obtineat. Scribit enim Paulus in *I. 2. pr. n. de aqua et aqua pluia.*
vetustas habetur semper pro lege, minuendarum scilicet litium causa, et Innocentius III. in cap. 26. X. de V. S. declarandum esse, ait, illa interdicta, quae non apparent imperatorum, vel regum largitione concessa, vel ex antiqua consuetudine a tempore, cuius non extat memoria, introducta; unde constat, hunc immemorali praescriptioni eandem plane vim tribuere, quam principum constitutionibus. Et quamvis Stryk. *V. M. n. tit. de usucap. obiiciat, principem esse legibus solutum, ipse tamen hoc saltim fatetur, has leges receptas esse; siquidem praeterea digna vox est, ut legitur in I. 4. C. de LL, et Conf. Princ. maiestate regnantis, se principem legibus alligatum profiteri, et maius est imperio submittere legibus principatum.*

§. 13.

Cum vero per totum illud tempus, quod ad praescriptiōnē et usucaptionē conficiendam necessarium est, rarius vnius idemque, praesertim in his, in quibus ampliori opus est temporis spatio, sit possessor, saepius sint plures; non immerito de eo quoque quaeritur, num omnes, qui rem praescribendam, aut usucapiendam per illud tempus, quo demum finito res usucta vel praescripta est, possident, in bona esse debeat fide. Possunt antecessor et successor, siue prior possessor et posterior, utique in bona fide esse. Sed et hoc potest accidere, ut utique, siue omnes, si plures sint, qui per mutuam successionem rem quamdam possident, in mala sint fide. De utroque tamen easū iam non opus est verba facere, siquidem, quia eadem fidei indoles est, siue bonae, siue malae, qua utuntur, qui possessionem per spatium ad praescribendum necessarium continuant, non potest aliter res esse comparata, nec aliud quidpiam ex eo consequi, ac si vnuus tantum homo rem praescribendam per integrum tempus praescriptioni definitum solus in bonis habu-

D 2

isset.



isset. Quapropter potius dispiciendum erit, quid iure obtinet, si alteruter eorum, qui sibi mutuo successerunt, per usucaptionis aut praescriptionis spatium, solus in bona fide fuerit. Sed iterum haec quaestio naturaliter in duas abit partes. Aut enim antecessor in bona, successor in mala fuit fide: aut res se habuit vice inuersa. Ad quae, ut accuratius e iure romano respondamus, necessarium est, ut differentiam successoris vniuersalis praemittamus et singularis. Vniuersalis successor, sive haeres in omnia iura et obligationes succedit defuncti antecessoris, quam ob causam hic antecessor cum suo successore habetur pro una persona. Inde sit, ut hac quidem specie non duos, qui continuant possessionem, sed unum tantum, qui per totum praescriptionis tempus possederit, recte statuamus. Nam, cum iure romano id tantum sit perpendendum, quaenam ab initio adfuerit fides, facilis conficitur negotio, ad antecessoris fidei solam respiciendum esse, quae, si mala fuerit, heredem ad reddendam rem obligabit, etiam si ipse fuerit in bona fide, cum e contrario bona antecessoris defuncti fides hoc praestabit haeredi emolumumentum, ut, licet ipse in mala fide sit, possit tamen praeescriptionis continuare tempora, quoniam ius illud, quod ex bona fide habebat defunctus, in ipsum etiam hereditario iure translatum est. Eleganter itaque Papinianus in L. 10. D. de diu tempor. praefer. cum, scribit, heres in omne ius defuncti succedit, ignoratione sua defuncti vita non excludit. Quamobrem a Iustiniano quoque expressa cautum est lege, ut res illa ex hoc iuris principio definitur. Ita enim iussu eius Tribonianus in Institutionum libro §. 7. de usucap. diutina possessio, quae prodebet cooperat defuncto, et heredi ei bonorum possessori continuatur, licet ipse sciat, praedium alienum esse. Quodsi ille in sum initium non habuit, heredi et bonorum possessori, licet ignorantis possessio non prodebet. Quamvis autem, quae hic disputata sunt, non videantur ante Iustiniani tempora ad usucaptionem pertinuisse, quatenus ex ea verum adquiritur dominium, ut res ab alio quocunque potuisset

vindi-

vindicari, cuius nimis breue, annale scilicet et biennale tempus erat, hoc tamen etiam correxit Iustinianus, cum spatia usucaptionibus constituisset longiora per l. vn. C. de usucap. transform. Hanc ob causam in loco Institutionum laudato additum est; quod nostra constitutio similiter et in usucaptionibus observari constituit, ut tempora continuentur. Quae cum ita sint, diuersa ratio eius causae, si vel antecessor in bona, successor in mala fide sit, aut vice versa, tunc tantum erit, si titulo succedatur singulari. Certe Vlpianus scribit in l. 5. D. de div. temp. praefcr. fidem auctoris, qui antecessor in possessione fuit, videlicet venditoris, donatoris, legantis, neque nocere, neque prodesse. Idem tamen parum sibi constans, Pomponii tradita enarrans in l. 4. §. 29. et 31. D. de exc. dol. eos, qui titulo lucrativo, ab his, qui oneroso rem adquisuerunt, separat, ut illis omnino, his vero non nocere doceat auctoris dolum, siue malam fidem. Sed Paulus etiam l. 14. §. 1. D. de usurpat. et usucap. hanc nobis proposuit sententiam: *in re legatu, in accessione temporis, qua testator possedit, legatarius quodammodo quasi heres est.* Quibus positis, lucrativae causae alia omnino statuenda erit ratio, quam onerosae, quod a nonnullis, veluti Wissenbachio in comm. ad Institut. factum inuenio. Et aquifissimum videtur, donatario et legatario non quidem prodesse auctoris bonam fidem, si ipse malae fidei possessor sit, nocere tamen malam auctoris fidem, etiam si ipse bona possideat fide. Nam eius etiam, qui de damno vitando, quam qui de captando lucro certat, meliores partes esse, iuris est notissimi. Attamen ad hoc quoque attendendum esse existimo, vtrum is, cui res donata, legata est, agat vel excipiat, siue, quae vtriusque rei causae sunt, possideat, nec ne, cum in illa l. 4. de exc. dol. de vindicante sermo sit, deinde, quo titulo alter litigantium vtatur. Quodsi vterque titulo lucrativo rem praetendat in litem deductam, melior procul dubio erit causa possidentis, sicuti hoc in omnibus obseruari solet iuris capitibus. Alter igitur res sepe habet, si ti-



tulus possessionis sit onerosus, veluti emti, permutati, dati in solutum. Scribit enim Vlpianus in lege allegata: *auctori autem dolus emtori non obiicitur: item in similibus, qui vicem emtorum continent.* Quamobrem, si auctor, v. g. in solutum dans, fuerit in mala fide, accipiens tamen vsucapere potest, scilicet ita, ut ab eo tempore, quo ipse apprehendit possessionem, si bona factum sit fide, usucaptionis spatium incipiat, ex qua ratione haec quidem species ad causam continuati a duobus usucaptionis temporis, vel possessionis accessionis, quae vocatur a Ictis romanis, plane non pertinet. Sin auctor in bona, possessor vero in mala fide sit, hic usucaptionis beneficio vti nequit, si quidem successor singularis eo, quo apprehendit possessionem, tempore in bona fide esse debet. *I. 2. §. 17. D. pro emt.* Haec eleganter exposuit Vlpianus in *I. 13. §. fin. D. de acquir. possess. ne vitiosae quidem possessioni villa potest accedere, sed nec vitiosa ei, quae vitiosa non est.* At enim vero Iustinianus iam haec quodammodo mutauit in *Nou. CXIX. cap. 7.* qua n̄ fit, ut mala fides antecessoris in causa onerosa quoque noceat bona fide acquirenti. Hodie his distinctionibus supersedere possumus. Iure enim canonico introducto, quo per totum usucaptionis vel praescriptionis tempus opus est bona fide, facile patet, ne hereditquidem vel vniuersaliter succedenti bonam prodesse defuncti antecessoris fidem, nisi ipse in eadem versetur adiens hereditatem, in eaque permaneat. Verum hoc non ita intelligendum est, quasi heres bona fide acquirens ipse inchoare eam possessionem non possit, quae finito tempore iura praescriptionis tribuit. Nam in eo nec ius canonicum obstabit, neque id etiam iuris romani supra descripta vetat dispositio, de quo tamen, cum ad possessionis accessionem non sit referendum, hic quidem amplius differendi locus non est.

§. 14.

Sed quaeritur quoque de eo, vtrum praesumatur bona fides in possidente, an ab illo probanda sit. Affirmans responsio

fio iam in hac latet iuris regula: *in dubio quilibet praesumitur bonus*, cui accedit lex canonica, his verbis concepta: *Praesumitur ignorantia, vbi scientia non probatur.* cap. 47. de R. I. in 6. Iam, quia ignorantia rei alienae bonam fidem efficit, est quoque haec tamdiu praesumenda, donec mala fides probata fuerit. Deinde etiam singularis est cuiuscunq; possessionis haec vis, vt possidenti bonaे fidei praesumptionem asserat, ideoque partis aduersae sit, docere, possessorem in mala fide constitutum fuisse. Nam haec praesumptio, licet iuris sit, tamen non est iuris et de iure, eamque ob causam admittit probationem contrarii. Quae cum ita sint, operae pretium videbitur, docere, ex quo illud contrarium demonstrari possit. Scilicet omnis usurpatio reuerat tantum bonae fidei continuationem praesumptam in prescriptione tollit, siquidem possessor per eam malae fidei reus fit. Est autem usurpatio, quam teste Paulo in l. 2. π. de usurpat. et usurp. oratores frequentem vocarunt usum, usuraptionis, ex eiusdem verbis, interruptio. Ut autem interrumpatur usurpacio, vel praescriptio etiam, hoc variis modis contingere potest, tam factis possessioni contrariis, etiam si quaedam adhibetur vis, vt in pignoratione, quam verbis. Illam dicunt DD. naturalem, hanc ciuilem. Ciuilem Boehm. in *introd. in iur. Dig. L. 41. tit. 3. th. 18.* cum multis aliis in *iudicialem*, et *extra iudicialem* diuidit. Extrajudicialis ciuilis parum efficax est, maximoque subiecta periculo, non modo ob probationis difficultatem, quod facile iure iurando potest elidi, verum etiam, quod denunciatio priuata alterum nequit bona fide priuare, nisi ei argumenta simul adiecta fuerint, quae ad minimum verosimiliter conuincunt possessorem de denunciationis iustitia. l. 17. C. de rei vind. Tanto maioris autem ponderis ciuiler facta possessionis est interruptio, quae fit lite in iudicio mota contra possessorem. Attamen de iure romano ne haec quidem olim suffecit ad interrumpendam usuraptionem, antequam reus item esset contestatus. l. 20. §. 11. et l. 25. §. 7. π. de heredit. petit. Hodie autem, quia effectum, qui



qui olim proprius erat litis contestationi, nuda citationi tribuimus, nulli dubitamus, quin haec sufficiat ad vsucapiōnem infringendam. Sane iure Saxonico per O.P.R. Tit.V. §.4. sanctum est, vim istam semper tribuendam esse citationi, etiam ad libellum ineptum nulloque modo ferendum emissae, quamuis ea altero citationis legitimae beneficio, destituatur, quod in praeventione et litis pendentia, ut loquuntur, inducenda ponitur. Sola itaque citatio possessorum in malam fidem coniicit. Quae interruptio, cum citationis causa iudicialis scriptura conficiatur ab eo, qui curam gerit actorum, probata est facilissima, ac proinde, cum sit quoque ad gignendam malam fidem satis efficax, priori dupliciter praefstat. Pertinet praeterea ad modos praescriptionis cursum fistendi debiti agnitio, quae duas partes habet; altera verbis sit et declaratur, et expressa audit, altera, quae tacita est, ex factis colligitur. Ad posteriorem solutionem pro parte factam, aliaque, ad priorem referre possis pacti noui de non petendo intra certum tempus interpositionem, aut, vti exemplum in l.7. §.5. C. de praescript. 30. vel 40. ann. legitur, cautionis nouae constitutionem, qua creditor reddatur securus. Vtraque clare de mala fide, siue scientia rei ad se non pertinentis testatur, vt nullum sit dubium, quin vere praescriptionis cursum fistat.

Quod reliquum est, neminem puto inueniri, qui, quae traduntur de bona fide, quando quamque necessaria sit in praescriptione aut vsucapione, tum inchoanda, tum continuanda, ad vsucapiōnem iam completam trahat. Recte enim inquit Berg. Oec. Iur. p. 254. perfecta vsucapione mala non obest fides, ne quidem in conscientia. Nam vsueacio est modus dominium acquirendi per continuacionem possessionis temporis lege definiti, ergo hoc tempore elapsio dominium tribuit possessori, remque per hoc tempus bona fide continuo possessam, quae aliena fuit, reddit propriam, deleto prioris domini iure. Itaque possessor amplius non detinet rem alienam, sed suam factam. Quamobrem, si postea resciscit, eam quandam alienam fuisse, nullibi profecto male fidei accusari poterit, neque in foro conscientiae, neque humano.

Wittenberg, Diss., 1781-82




f

sl.

✓ Dn 8



B.I.G.



DE

BONA FIDE IN PRAESCRIPIONE ET VSVCAPIONE NECESSARIA

DISSERTATIO

QVAM

PRAE SIDE

D. ERNESTO GODOFR. CHRISTIANO
K L V E G E L I O

IVR. SAX. P. P. O. IVDICII PROVINCIALIS IN LVSATIAE
INFERIORIS MARCHIONATV ET FACVLTATIS IVRIDICAE

WITTENB. ASSESSORE

DIE XIV. AVGVST. A. R. S. MDCCCLXXXI.
IN AVDITORIO MAIORI

PVBICE DEFENDET

AVCTOR ET RESPONDENS

CAROLVS AVGVSTVS CHRIST. VLICHIVS

WITTE NBERGENSIS.

WITTE NBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.

